

---

---

**DISPUTATIO MEDICA**

**INAUGURALIS**

**DE**

**CONTAGIONE.**

---

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
CONTAGIONE;  
*GRAN*  
ANNENTE SUMMO NUMINE,  
EX ANCOTRIATRA RAVVERBANTI ADOMINUM VIRTU.  
D. GEORGI BARD, SS.T.P.  
ACADEMIE EDINBURGENE PROFESSORI

Audirem, SENATUS ACADEMICUS Consenserit; si  
Nopinuisse TACITATIS MEDICAE Doctoris

JO. GIBSON SOLA

Digitized by the Internet Archive  
in 2020 with funding from  
Wellcome Library

ALEXANDER ROBERTS OF IRELAND

"Tunc dico quoniam servus vestrum es tuus".  
V. 19.

Fig. 19. Specimen, post locutio solle.

EDINBURGH:  
EXCELENTIA ADAMUS NEILL ET SOCI

1805.

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
CONTAGIONE;  
QUAM,  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,  
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,  
**D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.**

*ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;*

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu; et  
Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

**Pro Gradu Doctoris,**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

**ALEXANDER ROBERTUS SUTHERLAND,**  
*ANGLUS,*

SOCIETAT. REG. MEDIC. EDINBURGEN.  
SOCIUS ORDINARIUS.

*“Felix, qui potuit rerum cognoscere causas.”*

VIRG.

Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI :  
EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII

1805.



VIRO ADMODUM HONORABILI,  
HENRICO ADDINGTON,  
*SIDMUTHÆ*  
VICECOMITI,  
ET  
SENATORI SPECTATISSIMO ;  
IN NEGOTIIS REIPUBLICÆ ADMINISTRANDIS  
STRENUO, PROMPTO, ET PRUDENTI ;  
PACIS RESTAURATORI ;  
BELLI IMPROVISI  
VINDICI ACERRIMO ;  
PRINCIPI PARITER ATQUE CIVIBUS  
CHARO ET DILECTO ;  
TAM IN PUBLICA VITÆ CLARITUDINE,  
QUAM IN TRANQUILLITATE DOMESTICA,  
VOTIS BONORUM OMNIUM  
CUMULATO ;  
HOC OPUSCULUM,  
QUALE QUALE SIT,  
D. D. D<sub>Q</sub>UE  
ALEXANDER ROBERTUS SUTHERLAND.

DISPUTATIO MEDICA

IN VENERIBUS

DE

CONTAGIONE

PROCESSIONIS

Morbi, dicimurque siue diligenter portimus  
veneris, quod in veneratione sicut in exco-  
stac, ut certum est, non videtur possidere, tempe-  
stis etiam, sicut si sit, deinde venerationi pos-  
sumus. Namque gloriosus est hoc, id est, mis-  
ericordia nostra, quae dicitur, quoniam est soler-  
tudo pietatis vestrae: tecumque sumus.

To John Ch. Ogilvie Esqr  
with the Author's  
best Compl:

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CONTAGIONE.

PROCÉMIUM.

MORBI, quicunque sint, quibus homines naturâ obnoxii sunt, prudentem sponte excitant, ut, eorum causis anxiè perpensis, remedia etiam, siqua sint, quæ certè inveniri possint, sibi et aliis sedulò exquirat. Multa quidem jamdudum invenit doctorum et soler-  
tium hominum diligentia: restant tamen quæ

A

materiam investigationi præbent amplam, gravem, perutilem. Nequaquam enim in medicina usu venit id, quod vulgò fertur, “ Nil dictum, quod non sit dictum priùs ;” quia, scilicet, quæ adhuc fuerint ignota, si quis feliciore aliquo, seu casu, sive conatu, invenerit, ea certè priùs inaudita suo tempore erunt proferenda. Quinetiam mentis humanæ ea est vis et natura, ut cum attentiore paululùm obtutu in rem aliquam inspexerit, novas subinde cogitationes soleat concipere, per quas, velut exortâ luce, ab errorum tenebris emergere incipiat. At verò excitanda est mens, et quasi stimulis agitanda, ne vires suas desidia turpi et inutili patiatur exolescere : quam quo potiùs stimulo impellemus, quām amore erga patriam ; “ pulchrum est reipublicæ benefacere ;” pulchrum est eruditis omnibus, sed medicis præter alios, civium incolmitati consulere sapientiâ suâ ; periclitantibus subvenire, ægrotis adesse, et periculis, etiam quæ cladem futuram intentare possint, curâ et solertiâ providere. Qui conatus si felicem tulerint eventum, quo non laudum cumulo au-

gendus erit medicus, qui se tam utilem præbuit, tam sagacem, tam benevolum? Sin frustrà fuerint, erit quod sibi tacitè gratuletur, qui sanctissimo mentis impulsu, ad sublevandas hominum miserias quicquid potuit, pro virili egerit. Quis est, qui non magno dolore, imò maximo, audiet grassantem inter classes vel exercitus patriæ pestilentiam? Viros fortes, morbo citius quàm armis absuntos; et spem belli, non fraude, non virtute hostium, sed cœli intemperie, vel internâ corporum tabe, præcisam? Quis est, qui malis tantis obviam ire, non sibi optatissimum putaret; et summæ gloriæ causam, in re tam gravi operam suam, etiam sine successu perfectissimo, navâsse? Hoc igitur argumentum, obscurum sanè et difficile, sed medicorum cura et investigatione dignissimum, quibus potissimum modis, et quibus remediis, histantis calamitatibus obviam iretur, in præsencia mihi agitandum desumo: quod faustum mihi, spero, facient doctorum favor ac benevolentia.

De Contagione et Contractione  
Humanorum corporum.

De Moribus dampna in Corporis inuidosa  
Gentilium.

DEFINITIO. As distincte  
Classificationis deceptivitas.

CONSENTIUNT omnes, ubi morbi semina  
ab ægroto corpore in sanum transeunt, eun-  
dem vel persimilem morbum generantia, hanc  
rectè *CONTAGIONEM* vocari.

CAP. I.

In iis memorandis, quæ de contagione tra-  
dituri sumus,

1<sup>mo</sup>, De Contagionis Historia ;

2<sup>dō</sup>, De ejus Origine ;

3<sup>tiō</sup>, De Effectibus, quos Aër Communis in  
hac Re gignit ;

*4tò, De Causis, quæ Corpus Humanum ejus  
Receptioni obnoxiam reddunt ;*

*5tò, De Modis, quibus in Corpus introdu-  
citur ;*

*Ac denique, De Prophylaxi et Curatione,  
tractandum, decrevimus.*

CAP. I.

## C A P. I.

## DE CONTAGIONIS HISTORIA.

A TEMPORIBUS vetustissimis, hic hostis metuendus mortalibus interfuit ; nec plerumque ab loco recedit ullo, antequam cladem tristissimam generit. Non semper per se grassatus est, sed sæpissimè quoque comitantibus bello atque fame. Hisce adjuvantibus, vires ejus magnoperè auctæ sunt ; atque major orta est pernicies. Inter homines paupertate laborantes, quibus ea, quæ sunt vitæ necessaria, aliquatenus desunt, et apud quos locus ad ægrotos recipiendos idoneus, atque a familia reliqua sejunctus, haberri nequit, aliis calamitatibus hoc malum sæpè sese adjungit. Nec in pauperum casis solùm reperitur, sed

violentiae ejus obnoxii quoque divites sunt.  
Hic igitur est hostis ab omnibus metuendus;

“ — Pestis adest : cui nec virtute resisti,  
“ Nec telis armisve potest \*.” —

Quamcunque regionum invadit, perturbatio et pernicies sequuntur. Ubi anteà vigebat felicitas, nec quidquam optandum defuit, mœror et terror conspiciuntur. Pulcherrimè descriptsit OVIDIUS miserias hominum peste laborantium, tali carmine :

“ Viscera torrentur primo ; flammæque latentis  
“ Indicum rubor est, et ductus anhelitus ægrè.  
“ Aspera lingua tumet ; trepidisque arentia venis  
“ Ora patent ; auræque graves captantur hiatu.  
“ Non stratum, non ulla pati velamina possunt.—

\*           \*           \*           \*           \*

“ Tantaque sunt miseris invisi tædia lecti ;  
“ Prosiliunt : aut, si prohibent consistere vires,  
“ Corpora devolvunt in humum ; fugiuntque penates,  
“ Quisque suos : sua cuique domus funesta videtur.—

\*           \*           \*           \*           \*

---

\* OVID. *Metamorph.* lib. ix. l. 200.

“ Lassaque versantes supremo lumina motu :  
“ Membraque pendentis tendunt ad sidera cœli,  
“ Hic illuc, ubi mors deprēderat, exhalantes \*.”

Si hoc, tanquam supplicium, censendum est,  
generi humano a cœlo irato immissum, quis  
non SUPREMI NUMINIS potestatem maximè  
timendam putabit ?

## CAP. II.

---

\* OVID. *Metamorph.* lib. vii. l. 554. 572. 579.

## C A P. II.

## DE CONTAGIONIS ORIGINE.

SUPER hoc capite, vix quicquam certi proferre possumus: Nec enim satis notum est, unde aut quando originem traxerint contagiones variæ, vel an semper in aliqua orbis terrarum parte latenter extiterint, et propter causas, unde generantur, concurrentes sese identidem ostenderint. Animi motus violentiores ab aliis censemur contagionem efficere. Secundum alios autem, contagio nascitur ab exhalationibus e terra, et ex rebus, et vegetabilibus et animalibus, putrèscens. Sunt, qui nocentibus animalculis attribuunt, atque eorum ovis per aërem fluitantibus. Iram, metum, atque alios animi motus violentiores,

febres inducere posse, atque aliūs generis adversas valetudines, veluti phthisin, procul dubio verisimile est. Phthisis enim, secundum ea quæ tradit HOWARD \*, censetur a medicis Italicis esse contagiosa ; ideoque, in nosocomiis eorum, hoc morbo laborantes a reliquis seorsim ægris habitant, eadem curâ adhibitâ ac in peste ipsâ. In locis, quibus habitârunt phthisi laborantes, supellex removetur, et materies contagiosa a cubiculis abraditur, quæ fumigatione etiam sedulò lustrantur. Effluvia putrida a paludibus surgentia, aut rebus vegetabilibus aut animalibus orta, in corpus introducta, atque fluidis mixta, exhalationes hinc efficere possint verè contagiosas ; quæ posteà modis variis disseminari possunt, inter eos quos contingunt, præcipue si proclivibus obveniunt †. Hasce autem exhalationes morbos contagiosos producere, mediante

---

\* Vid. HOWARD. *On Prisons*, pag. 98.

† Vid. SMYTH. *Letter to the Board of Health at Manchester*, pag. 74.

aëre, indubitate videtur, intra certum saltem spatiū ; nisi enim certis finibus continerentur, nemo eorum, qui magnas urbes incolunt, præsente peste, ejus violentiam evaderet. Hoc autem nequaquam evenit ; pluri-  
mi enim, si de hac re ritè præcaveatur, incolumes manent. An contagio unquam animalculis, eorumve seminibus et ovis, attribuenda sit, vix dicere ausim : ut hoc credibile redatur, atque eodem tempore ratio appareat, cur omnes homines non æquè inde afficiuntur, necesse est, ut hæc semina et ova sese maximè iis corporibus adjungant, quibus aluntur. At alicubi nascatur contagio, necesse est. Earum autem regionum incolæ, inter quos frequentissimæ pestes hujuscemodi, eas ad se ab aliis regionibus allatas esse affirmant. Si hoc ita es-  
set, unde originem traxerit contagio, omnino incertum fit. MEAD illustris autem, in libro illo, quem de Contagione scripsit, dum memo-  
rat pestem anno 1349<sup>o</sup>, maximè sanè noxiam, quæ unquam in hisce regionibus terrarum quas nos incolimus, extitit, originem ejus ex A-  
sia deducere conatur. Surgens enim in Sina,

anno 1340<sup>to</sup>, progressa est per regiones orientales ad Syriam, Turcos, Ægyptum, Græciam, Africam, &c. In 1347<sup>mo</sup>, quædam naves ab oriente eam in Siciliam advexerunt, Pisam et Genoam, &c.: in 1348<sup>vo</sup>, per varias partes Galliæ intravit atque Hispaniæ: tunc Angliam invasit, Caledoniam, et Hiberniam; et posteà Germaniam, Hungariam, et Scandiæ partem: atque in omnibus hisce regionibus perniciem maximam genuit. Hinc concludere licet, hanc pestem in calidioribus regionibus primò genitam esse. In illis enim regionibus morbi contagiosi sæpiùs occurrunt, et violentius grassantur, quam septentrionem versus; illæ enim diu calidæ manent, atque aëris ibi parùm agitatus putredinem gignit. In his autem ventorum motus et mutationes, aërem puriorum reddendo, corruptionem prohibent. Plurima exempla monstrare videntur, hanc materialim contagiosam terræ superficiei propinquam manere. In locis depressostribus, hujus aëris gravitatem, eâ aëris communis majorem, probat forsitan pestis, quam describit HOMERUS hisce versibus:

“ Οὐρῆας μὲν πρῶτον ἐπάχετο, καὶ νύνας ἀγρύς·  
 “ Αὐτὰρ ἔπειτ’ αὐτοῖσι βέλος ἐχεπευκὲς ἐφιές,  
 “ Βάλ· αἰδὲ γὰρ πυραὶ νεκύων καίοντο θαυμάται\*.”

Ob hanc rationem, evitari aliquandò potest contagio, occupandis locis altioribus. Castra igitur in talibus locis poni debent, ut milites sint a contagione tutiores.

Ubiunque homines congregantur, ut in nosocomiis, castris, navibus, aut carceribus, nisi summâ mundicie malo huic obviā eatur, morbi nascantur necesse est. Ab omni sordium congerie, aut corporibus morbidis, effluvia pestifera continuò oriuntur; quæ, nisi expellantur, atque aëre commisceantur, maximè perniciosa fiunt; atque, si corpus vivum tangant, id morbidum necessariè reddunt. Conventu Juridico Oxoniensi habito anno 1577<sup>mo</sup>, qui *niger conventus* appellatur, multi, qui adfuere, intra horas quadraginta sunt mortui.

\* Vid. ὈΜΗΡΟΥ ΙΛΙΑΔ. A. l. 50.

Contagio a reis carcere inclusis originem traxisse dicitur.

Secundum illustrissimum BACON, contagio post pestem maximè perniciosa nascitur e carceris odore, in quo inclusi diu manserunt, et cuius squalor est magnus. Bis aut ter, dum vixit ipse, sese ostendisse fertur ; atque inde et judices, et plurimi qui eos comitabantur, morbo correpti, mortui sunt. LIND originem contagionis, in exercitibus et classibus nostris, ad carceres refert \*. Illi, quorum curæ ægroti mandantur, violentiam talium effluvio- rum sentiunt ; et, quoniam hæc omnibus vestimentis e lana confectis sese præcipue adjungunt, difficillima expulsu fiunt, nisi præsidia quædam mechanica ad hanc rem adhibeantur. Exhalationes, quæ febres gignunt, variè oriuntur. Qui naves descendunt, odorem gravissimam aquæ ibi stagnantis sæpè percipiunt,—“ tum sentina gravis.” Talis aquæ

---

\* Vid. LIND. *Essay on the Health of Seamen*, pag. 307.

effluvia argentum nigrum reddunt, eodem fermentè modo ac si sulphure tinctum esset. Hic fœtor sæpè adeò gravis est, ut nautæ aquam exantlare, aut eandem aliâ aquâ diluere, cogantur. Cellæ quoque humidæ, barathra, cloacæ, et stagnorum in vicinitate cœnum, exhalationes pariter pestiferas emittunt. In ARETÆUM *Annotatio* hæc verba continet : “Aqua, quæ flumine Nilo fertur, adeò est limosa atque turbida, ut multos variosque morbos efficiat; unde multos eosque putridos oriri morbos narrat: eandem verò aquam, ubi clarefierit, et jucundissimam et saluberrimam, et morbis quibusdam depellendis utilem esse, prædicat \*.”

Cadaverum incisiones nullam causam contagionis monstrant †. Morbida phænomena ibi reperta, morbi, qui mortem intulit, veluti cerebri aut viscerum inflammationis, effectus

\* Vid. *Not. in ARETÆUM*, cap. ix. lib. i.

† Aud. GREGOR. Prælect. de Med. Praet. in Acad. Edin.

esse videntur. Quoniam cadavera contagionem non communicarent, eorum incisio tutò fit, si ante inceptam putredinem peragatur; atque si is, qui ea incidit, inde sese haud vulneraverit, nam talia vulnera, febrem inducendo, lethalia fiunt.

Ab iis, qui suprà memoravimus, inferre licet, corporis humani effluvia\* morbos contagiosos generare posse. Hæc vis autem, ab aëris naturâ contagioni aut faventis, aut eandem prohibentis, pendet: ad quam rem explicandam jam progredimur.

## CAP. III.

---

\* Vid. De hoc argumento, quæ BLACKBURN nuper in lucem edidit.

---

**C A P. III.****DE EFFECTIBUS, QUOS AER COMMUNIS IN CON-  
TAGIONEM PRÆSTAT.**

CONTAGIO, sicuti observationibus confirmatum est, post certum decursum peractum desinere videtur. Nonnullæ aëris constitutiones effectus ejus mutant: nisi enim ita series haberet, postquam pestis ullo loco sævire inceperat, nullum finem, nisi cunctis ejus incolis letho datis, haberet. Certa quoque tempora anni, atque certas aëris conditiones, pestis vi favere, eidemve officere, satis apparet: pестes enim plerumque vere nascuntur; æstate sæviunt; et, nisi ab aucto calore hujusce temporis oppositæ, usque ad hiemem atque frigora intensiora manent. Calores maximi

**C**

enim, æquè ac frigora, in hac re similes effectus gignere videntur: pestis enim subitâ quâvis aëris mutatione omnino cessat. Propter frigora majora, vapores noxii, qui ex paludibus aut corporibus morbidis nascuntur, humorem suum forsitan amittentes, atque propter suam gravitatem ad terram descendentes, gelu arido atque duro permanente, a ventis paulatim auferri, et omnino dissipari possunt. Tali tempestate corporis debilitas, propter humidum atque calidum aërem inducta, abit, atque alacrior fit animus; quæ utraque pestis sævitiæ officiunt. Hieme tamen cessans tantum latuisse videtur, atque majore vi vere sese ostendit. Hæc res forsitan originem inde trahit; quod, hieme aquâ subito gelu concretâ, glacies obstat, quod minus ex paludibus, et putridis quæ continent corporibus, effluvia oriantur; sed, glacie verno calore liquatâ, effluviisque liberatis, pestis reviviscit, atque vi pristinâ grassatur. Calorem enim primò redeuntem humor sequitur; quo effluvia quoque noxia redeunt: major autem, si factus esset, calor eundem innoxium reddidisset. Celerita-

tem, quâ evaporatio et dissolutio, accidente maiore quoque copiâ calorico, efficiuntur, notat cl. WILSON. Hinc reddere rationem conatur pestis subitò cessantis. Quoniam enim humor necessarius est ad eam gignendam, fieri potest, ut, subitò mutato aëris statu, hic humor disseminatus atque dilutus, innocuus fiat. Gelu enim valdè intensem contagionis rabiem inhibere potest, propter materiae contagiosæ in tali aëris conditione condensationem. De hieme hoc modo pestem intra limites certos cohibente, idem quodammodo dici potest, quod de ventorum rege cecinit VIRGILIUS :

— “ Hic vasto rex ÆOLUS antro  
 “ Luctantes ventos, tempestatesque sonoras  
 “ Imperio premit, ac vincit et carcere frænat ;  
 — “ Mollitque animos et temperat iras \*.”

A SYDENHAMO quoque observatur, “ Quod valedicente, nobis olim Febre Deputoria siccissimum ac vehemens gelu ab initio hie-

---

\* Vid. VIRGIL.

“ mis 1664<sup>ti</sup>, omnia constrinxerat, nequaquam  
 “ remisit donec mensis Martius adolesceret ;  
 “ quo quidem tempore, quamprimum fatis-  
 “ cente gelu terra solveretur, mox febris pes-  
 “ tilentialis, postmodum ipsa pestis, grassari  
 “ cœperunt \*.”

Multi alii scriptores eandem quietem contagionis, propter frigus orientem, plurimis exemplis confirmant †. Materia verò contagiosa calore cohita, nunquam sese iterum ostendit. Frigus vehemens eandem inertiam, ac calor, gignit : tali frigore autem materies contagiosa haud amittit facultatem suam effectus noxios generandi ; sed remoto frigore rursùs conspicitur. Calor enim hanc materiam dilatat, atque, aëre recenti rursùs admixto, eandem innoxiam reddere potest. Dilutionis effectus quotidie conspectui nostro ob-

\* SYDENHAM, vol. i. pag. 355.

† De hac re, vid. MEAD, PRINGLE, RUSSEL, SIMS,  
BLANE, &c,

jiciuntur. Medicamenta enim maximè noxia atque violenta, in ventriculum pura recepta, mortem citò inducunt: eadem autem ritè soluta, non solùm innocua, verùm etiam maximè salutaria, ad pellendos morbos, evadunt.

## CAP. IV.

## C A P. IV.

## DE CAUSIS, QUÆ CORPUS HUMANUM EJUS RECEPTIONI OBNOXIUM REDDUNT.

CORPUS humanum, diversis temporibus, plūs minùsve contagioni obnoxium esse, notum est; atque vis aut violentia ejus multùm ab hac proclivitate, æquè ac angustiâ ac fœtore loci in quo generatur, pendere videtur\*. Pubertatis ætas, febri atque inflammationi maximè obnoxia est. Secundum Doctorem HENDERSON, ii qui sunt ejusdem ætatis, atque quorum corporis habitus similes sunt; qui que amore et benevolentiâ cum ægrotis conjunguntur, contactu eorum faciliùs, quàm alii, læ-

---

\* Vid. MEAD, pag. 41.

duntur. Medici juniores faciliùs corripiuntur, quàm seniores; nutrices autem rarissimè afficiuntur \*. Inter causas debilitatem generantes numerari possunt, exinanitiones majores, metus atque absentia alimenti nutritientis (unde fames et pestilentia inter antiquos conjuncta), vita sedentaria, vigiliae, studia laboriosa, atque cujusque generis excessus: omnia ea igitur maximè vitanda sunt. Secundum RUSH et CHISHOLM, homines NIGRI nequaquam tam obnoxii sunt contagioni, quàm ALBIDI: priores enim huic malo mirè resistunt.

## CAP. V.

---

\* Aud. GREGOR, prælect. *De Medicin. Practic. in Acad. EDIN.*

## C A P. V.

DE MODIS, QUIBUS IN CORPUS INTRODUCITUR  
CONTAGIO.

ALITER, quām communicatione cum ipsis ægrotis, contagione corripi potest corpus; veluti nummis, epistolis mediantibus, vestimentis, vehiculis, &c. Variæ sententiæ de organis idoneis, quibus in corpus admittatur contagio, invaluerunt. Secundum nonnullorum sententiam, per pulmones inhalatur; aliorum autem opinione in ventriculum recipitur; atque aliorum denique, cutis absorptione admittitur. Modus, quo recipitur, adhuc est parūm cognitus. Modi tamen omnes, quos suprà memoravimus, secundum corporis et aliarum rerum conditionem, diversis temporibus, agere possunt. Effluvia a corpore,

contagione laborante nascentia aëri immixta, sphæram circum corpus constituere possunt, nunc majorem nunc minorem, et a corpore ipso remotiorem aut propiorem, secundum rerum circumstantium naturam. Horum effluviorum vis, a morbi natura et malignitate, et loco ubi generatur, pendet. Aliæ quoque causæ accedere possunt. Multi contagioni expositi, statim vertigine, stupore, et delirio afficiuntur, quæ sensorium affectum monstrant. A MEADIO citatus, scriptor illustris, in *Historia sua Pestis ad FLORENTIAM grassantis anno 1348<sup>vo</sup>*, ea, quæ ipse conspexit, tradit: duos porcos pauperis cujusdam hominis panniculos invenientes, qui peste mortuus erat; postquam eos ore contigissent, atque dentibus lacerassent, statim convulsos intra duas horas mortuos esse.

GREGORIUS, in prælectionibus suis, exemplum memorat hominis, quadragesimum secundum ætatis annuma gentis; qui, paleæ supergressus, dum vicum ambulabat, illicò ali-

quid odoris ingratisimi sensit, et in animum induxit se febre correptum esse. Domum regressus, rem, uti acciderat, et timorem dixit. Duobus tribusve post diebus, in febrem incidit; neque, nisi duas post hebdomadas, incipit revalere. Juvenis, vicum, ubi palea exposta erat, accolens, qui, amicitia motus, dominum ægrati ventitabat, ut cognosceret quemadmodum se haberet, mentione paleæ auditâ, à vici accolis certior factus est, ex ipsissima culcita ejectam esse, super qua adolescentula febre mortua fuisset.

In utroque exemplo, effecta illa pestifera statim sese ostenderunt; quæ res, corpus alter contagione corripi posse, quam absorptione per superficiem, satis monstrant. Hi effectus subiti atque vehementes, faciliores explicatus sunt, si contagio per pulmones recepta censematur.

Effluvia pestifera aëre communi graviora esse, jam suprà memoravimus. Ob hanc causam igitur talia effluvia ad imas partes pulmonum ut recidant, nec facile inde expira-

tione expellantur, necesse est : et, dum ibi permanent, vasa vicina absorbentia ad contractionem incitent ; donec horum vires exhauiant, ac deinde per corpus diffundantur.

Verisimile est quoque, dum aliquis aërem pestiferam inhalat, nonnullas particulas contagiosas hoc modo salivæ immixtum iri, atque in deglutitione in ventriculum descensuras. Vulgus hominum, odore fœtido percepto, salivam expuere solent. Secundum Doctorem LIND\*, ægroti, febribus contagiosis laborantes, sensum habent, qui odorem ingratum, in ventriculum descendantem, refert ; atque, secundum scriptorem eundem, saliva, in loco impuro deglutita, meritò inter causas originem labi dantes censenda est. Propter usum emeticorum frequentem, atque effectus eorum salubres in febribus opponendis, virus hoc ventriculum præcipuè afficere, conjicere licet : Quoniam autem emetica adhibita non solùm

---

\* Vid. LIND. *Of Fevers and Infection*, pag. 244.

vomitum producunt, et cathartica sunt; sed quoque diaphoresin excitant; effectus forsan febrium violenti hinc auferri possunt.

Alius modus, quo contagio communicari potest, est absorptio per cutem. A nonnullis affirmatur, hanc non posse fieri, per superficiem cutis exteriorem. In omnibus absorptionis exemplis epidermidem laesam fuisse, atque materiam absorptam, per eam vi actam, cutem veram tetigisse censem. Medicamenta violentiora enim, corporis superficie applicata, saepè absorbentur, atque in corpus introducuntur. Frictio ad hoc efficiendum plerumque adhibetur. Experientia autem hanc minimè necessariam esse docet. Varias res igitur, per cutem, in corpus recipi posse, ex jam dictis satis patet. Experimenta adhuc desunt, quibus ostendi possit, an aëris communis cum materiâ perspiratione emissâ conjunctus, ad excitandos quosdam morbos potentior fiat; et, qualis hæc aëris conditio sit, experientiâ solâ confirmari potest. Omnis enim theoria de hac re, de qua tot tantæque

res adhuc nos latent, temeraria esse videtur. Satis autem notum est, si cutem veram materia contagiosa contigerit, hanc effectus suos semper producere. Hoc probat in variola inoculatio, &c. Luctuosum etiam exemplum habemus Doctoris WHYTE, qui, propter insitio-  
nem materiae pestilentis, mortuus est.

Hæ res igitur modos contagionis communi-  
candæ esse, inhalationem, inoculationem, et  
per cutem absorptionem, satis monstrant.

## CAP. VI.

**C A P. VI.****DE PROPHYLAXI ATQUE CURATIONE.**

SCIENTIA nostra de hac re, quæ quidem valdè imperfecta est, summi tamen esse momenti, de contagione ut præcaveamus, satis probat. Præsidia, quibus hoc fiat, sunt plurima; et, nisi adhibeantur sic, utì res postulat, ut contagio semper augeatur necesse est.

Iis, quorum curæ ægroti committuntur, inmundities atque aër recens, res maximè necessariæ esse videntur. Sordes igitur omnes, atque corporis excrementa, æquè ac supellex et vestimenta supervacanea, diligenter sunt amovenda; hæc posteriora enim materiam pestiferam absorbent, unde summum periculum sequitur. Linteorum mutationes crebræ,

laborantibus utiles, nutricibus eorum periculum inferre possunt, nisi maximâ diligentia exuta sordida submoveant. Hæc lintea sordida remota, si in aquam calidam, ut laveruntur, statim immittantur, vapor oriens lavantem inficere potest. Aqua igitur frigida adhiberi debet, quâ, postquam aliquandiù mace-rata sint, detergeantur.

Quoniam aër recens admissus non solùm gratus, sed quoque utilissimus est et ægrotis, et eorum nutricibus; cum cœli temperies atque ægroti conditio sinant, fenestram apertam habere debemus. Hoc præsidium maxime necessarium est, antequam in ægroti cubiculum visitantes admittantur. Ob hanc rem fieri potest, ut particula pestifera solito longius avehantur. Nutrices halitum ab ægroto venientem accipere non debent. Si talis nutricis situs impossibilis sit, aliquid inter eam et ægrotum, quo tutior sit, interponi debet.

Medici plerumque ægrotos haud visitant

jejuni, ne hanc materiem, unā cum saliva, in vacuum ventriculum accipient. Porrò ex vacuo ventriculo hæc materia emeticis difficultius expellitur, quām si alimentum ei immixtum esset. Eadem cautio quoque ab omnibus, qui ægrotos visitant, observanda est.

In exemplis maximè acerbis, petechiæ, quæ sese in corporis superficie ostendunt, diligenter inspiciendæ sunt. Dum hoc fit, is, qui inspicit in ægrotum impendens, halitum retinere debet, præcipue verò prope ægrotantis os.

Propter ignorantiam atque superstitionem, aromaticæ quædam, *amuleta*, aut carmina magica, tanquam præsidia adversus contagionem habita sunt. Metus, sicut suprà dictum est, contagionis in corpus accipiendæ, potens causa prædisponens esse videtur. Nec minùs periculosa est temeritas. Mens igitur tranquilla atque hilaris, si fieri potest, retinenda est. Taliis mentis conditio, etsi in se nullam vim tan-

quam remedium contra contagionem possideat, tamen, quia confidentiam gignit, tanquam optimum præsidium censenda est.

Medici est prudentis forsitan multarum rerum virtutes laudare, quibus nullam fidem habet; sed, inter sapientiores, tales contemni debent.

Quia materies pestifera in corpore humano breviore vel longiore tempore aliquando lateat, antequam effectus suos producere incipiat, omnes à peste convalescentes suspiciendi sunt. Hanc cautionem in dimittendis ægrotis convalescentibus prudentia requirit: quod nunquam fieri debet, antequam vestimenta eorum fumigationi subjecta sunt, atque supellex ab eorum cubiculis remota. Secundum Doctorem RUSSELL\*, convalescentes è peste contagionis semina secum ferre possunt, etiam omnibus remediis externis contra eam adhibitis.

E

\* Vid. RUSSELL. *On the Plague*, pag. 305.

Doctor BLACKBURNE, in libello quam *de Scarella* edidit, exemplum tradit totius familiæ, hoc morbo infectæ, propter convalescentem quem ipse in rus amoverat. Nihil certius monstrare potest vires tabis pestiferæ ægroto adhærentis.

Quoniam adhuc ignotum est, quām procul à corpore contagiosa pestis communicetur, atque quamdiu in corpore lateat antequam morbum pestiferum gignat, de ejus propagacionem præcavendo, nimia cura adhiberi nequit. Prudentiâ verò eorum, qui rem publicam nostram gubernant; atque per leges de hac re latas, quibus naves, ex regionibus contagiosis advectæ, per quadraginta dies in alto permanere coguntur; et quia merces ex iis locis, in quibus aliquis peste obiit, per certum tempus, in naves recipi nequeunt; morbus adeò malignus raro apud nos conspicitur. Ex contagione autem mors sæpissimè infertur. Si igitur ea sese ostenderit, summa cura ad eam supprimendam et pellendam adhibenda est. Inter præsidia, quibus hoc fiat, fumigatio ex aro-

maticis variis potentissima inter antiquos habebatur, atque apud JUDÆOS, mirâ felicitate adhibita videtur \*. *Fumigatio nitrosa*, quam feliciter introduxit Doctor SMYTH, meritò magnoperè laudatur. Nec acidi muriatici virtutes, quibus pesti obstatür, negligendæ sunt: hoc enim, æquè ac *oxy-muriaticum*, in fumigatione maximè salutiferum repertum est. Propter vim, quam sese expandendi possidet, ad superanda effluvia, quæ exuviis animalibus corruptis nascuntur, potentissimum videtur; quia *ammonia* esse ea effluvia censentur.

Effectus salutares acidi muriatici, internè adhibiti, Patris mei experientiâ LONDINI confirmati sunt. In *Ergastulo Westmonasterensi*, quod circiter quingentos homines continet, typhus maximè virulentus sæpè sese ostendit, atque perniciosè grassatus est. Fumigatione, aut remediis tonicis, exitu infelice adhibitis, ad acidum muriaticum decursum est; ejusque

\* Vid. Bib. Sac. Numeror. cap. xvi. ver. 46. ad 50.

effectus maximè salutares fuerunt. Ab eo enim tempore, quo adhibitum est, mors ex febre hac maligna rarissimè secuta est; remedio ritè præbito, atque nullâ affectione locali febrem comitante. Propter remedii hujus vires felices, ut quantitates adhibitæ à nobis tradantur, omnino necessarium esse videatur. Infrà igitur scribuntur:

R. Acidi muriatici, 3ii;

Syrupi simplicis, 3ii;

Aquæ fontanæ, librii.—M.—Capiat cochlearia quatuor, tertią vel quartā quâque horâ, vel sæpiùs, pro ratione symptomatûm.

Secundum sententiam quorundam medicorum, propter *oxygenii* absentiam febris inducitur. Si hoc ita esset, hujusce acidi virtus explicatu difficilis fit. Ab ea enim oxygenium, quod continet, nullâ re separari potest. Succus forsitan gastricus, cum eo in ventriculo conjunctus, hoc efficere potest; quod tamen experientiâ confirmandum est.

F I N I S.